



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1693**

Cap. XXXIX. De Congregatione super negotiis Baronu[m] status  
Ecclesiastici, & Montium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

2. Tractatur in hac Congregatione de cudenda Moneta, de valore peregrinæ pecuniæ in statu Ecclesiastico, de obviandis fraudibus, & justitia in lubricis pecuniæ commerciis tuenda.

3. Sancivit vero Pius V. *Const. III. Cum nil magis*, ut Tonsores Monetæ tam aureæ, quam argenteæ ultimo supplicio plectantur; Quod etiam approbavit Urbanus VIII. *Const. 75. In superna*, & Monetam adulterantibus, faventibus, seu instrumenta adulterationis retinentibus scienter pœnas imposuit per decennium.

### CAPUT XXXIX.

#### De Congregatione super Negotiis Baronum Status Ecclesiastici, & Montium.

1. *Occasio institutæ Congregationis Baronum.*
2. *Mandatæ contra Barones exequitur.*
3. *Inter emptores honorum Baronum admittitur etiam Camera Apostolica.*
4. *Nullæ investituræ aut contractus tueri possunt Barones.*

5. *Qui*

5. Qui spectent ad hanc Congregationem.
6. Qua forma negotia in ea tractentur.
7. Ubi & quando haberi soleat Congregatio.
8. Congregatio Montium licet sit diversa, eadem tamen habetur cum priori.
9. Quid in ea agatur, & quis ejus Rector.
10. Thesaurarius controversas decidit ordina-  
rias, graviores confert cum Congregatione.

I.

CUM in Statu Ecclesiastico tempora-  
li nonnulli Barones contracto variis  
de causis ære alieno, illud non dissolve-  
rent, nec annuas fructuum præstationes  
debitas maximo Creditorum incommo-  
do persolverent, ipsique Creditores eam  
ob causam variis litibus implicarentur,  
ideo instituit Clemens VIII. *Constit. 41.*  
*Justitiæ* Congregationem pro satisfactio-  
ne creditorum cujuscunque Baronis in  
Statu Ecclesiastico.

2. Hæc ergo Congregatio exhibitis à  
Creditoribus mandatis executivis per  
Judices relaxatis contra Barones ea  
exequi facit, absque alia citatione super  
quibuscunque eorum bonis & castris no-  
mine Cameræ Apostolicæ ad commo-  
dum Creditorum, ita ut statim cesset  
Baronum

Baronum jurisdictio & ejus exercitium; Deinde elapso Mense bona eorum sub hastanda proponere, & absque expensis plus offerenti delibrare, & pretium inde reductum Creditoribus consignare potest ac debet.

3. Inter emptores autem, seu oblatores admittitur quoque Camera Apostolica, seu ejus Commissarius; Si vero intra quindecim dies nullus Oblator se offerat, Camerae Apostolicae bona adjudicentur pro pretio aestimando, & ex eo Creditoribus satisfiat.

4. Atque haec ita fieri debent nullis obstantibus antiquis investituris, concessionibus, fidei commissis, donationibus vel contractibus etiam ex causa dotium &c. Si quid de pretio solutis debitis supererit, si bona vendita nulli fuerint fideicommissis, & vinculo obnoxia, id ipsis Baronibus seu Debitoribus consignetur. Si vero oneribus illis obnoxia fuerint, in aliorum bonorum stabilium, quae eidem fideicommissis & vinculo subjaceant, emptionem impendi debet. *Clem. VIII. l. c.*

5. Spectant ad hanc Congregationem Thesaurarius, qui istius Praefectus, aliquot Clerici Camerae, Advocatus Fisci,

Com-

Commissarius Camerae, & Auditor Thesaurarii, an hic votum habeat decisivum, an consultivum tantum, dubitatur; habere vero nunc decisivum, praxis hodierna docet.

6. Quamvis vero hæc Congregatio, more aliarum Cardinalitiarum more Principis potius, quam Judicis procedat Summariè & simpliciter, speciem tamen præferre videtur Tribunalis contentiosi, & judicialis, cum proprium habeat Notarium, & in forma judiciali causas disputet, & ferat sententias.

7. Haberi Congregatio hæc solet in ædibus Thesaurarii pro libitu ipsius, & exigentia negotiorum, cum dies certa, & determinata non sit, frequentius tamen die Martis haberi solet.

8. Est & alia Congregatio Montium dicta, quæ licet diversa sit à priori, cum diverso instituta sit tempore, diversaque in ea tractentur negotia, utraque tamen pro unica vulgo haberi videtur, quia ex eisdem personis constituta est, eodemque die & loco habetur, atque similis materiæ negotia in utraque tractantur.

9. In hac Congregatione agitur de reductione, natura & privilegiis, de libertate, & commercio Montium. Il-

lius Rector est Thesaurarius, sine cuius licentia in judiciali, vel conventionali commercio, ac distractione, vel translatione de persona ad personam nil fieri potest.

10. Idcirco si quæ controversiæ circa illa oriantur, eæ in forma judiciali per ipsum Thesaurarium, vel ejus Auditorem examinantur & deciduntur. In gravioribus tamen, & casibus valde dubiis, exquirere solet Thesaurarius sententiam Congregationis, in qua proinde cum Advocatis & Procuratoribus quæstiones disputantur in forma contentiosi Tribunalis.

## CAPUT XL.

### De Congregatione Visitationis Carceratorum.

1. *Finis hu jus congregatibnis.*
2. *Qui constituent Congregationem.*
3. *Habentur Visitationes Generales.*
4. *Et ordinariae.*
5. *Quomodo Visitationes instituantur.*
6. *Sumptus Carceratorum à quibus præstandi.*
7. *Custodibus carcerum quid agendum.*
8. *Quid hi accipere possint à carceratis.*

9. *Tres*